

nisi adulatione sint infames, aut impostores, esse tolerandos autumant, ita ut Princeps non tam jocetur ipse, quam eorundem sales, si sint honesti, auribus percipiat.

XXIX. Deniq; & rusticitas duplicem habet sectantium classem. Nonnulli enim nullos planè festivos sales ad oblectandos alios spargere possunt, sed in familiaribus congressibus quovis trunco ac stipite immobiliotes sedent, nihil verborum facientes, nec arridentes aliis; quo nomine malè apud antiquos audit *Timon Atheniensis*, cognomento *μισάνθρωπος* dictus. Et in hujusmodi agrestes optimè quadrat *Simonidis* dictum, qui, cum in convivio quodam hospes assideret taciturnus, *Mi homo*, inquit, *si stultus es, benè facis; sin sapiens, malè.* Nonnulli autem aliorum jocos ferre nequeunt, sed offenduntur statim, si quis joculari cum illis velit, ad calumnias & rixas, interdum & verbera, proni. Hinc ab Aristotele judicantur inepti ad jocosam conversationem. Nos chartæ spacio exclusi verborum finem facimus, solventes

Soli DEO Gratias.

